



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Jacobi Alvarez de Paz Opera**

De Exterminatione Mali, Et Promotione boni - Libri quinque

**Álvarez de Paz, Jacobo**

**Lvgdvni, 1613**

Quis modus in regulæ obseruatione tenendus. Cap. 10.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77843](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77843)



Dominum exaudite, & voluntatem eius non solum in magnis, verum & in parvis explere. Petit namque ille a nobis haec parua, vt splendorem status nostri seruemus, vt tyronibus, & adolescentibus exemplo prae luceamus, & vt ad magna virtutis fastigia admittamur, dum his minimis praehumilitate nos indigere profiteamur.

*Quis modus in Regula obseruatione tenendus.*

CAPVT X.

**S**I haec, quae de regula custodia dicta sunt, seriuo apud nos expendimus, & attempta mente considerauimus, facile erit intelligere, quem modum in regula seruanda tenere debeamus. Nam si custodia regulae, ac institutionum religiosarum, nihil aliud est, quam omnium exercitatio virtutum, si ea veram mentis pacem omnium bonorum amabilissimum assequimur, & misericordiarum Dei capaces efficiamur, quis non intelligat, regulam, ac institutiones istas per uigili esse diligentia seruandas? Certè extraordinaria cura ac sollicitudine seruandae sunt, ac ea diligentia, quam ipse exigunt, eaq; perfectione, quam ipsa praescribunt omnimodis adimplendae. Nihil est in vita religiosa, cuius perfectio, non, regula dictante, monitretur. Ipsa docet quomodo orandum sit, & quomodo in pijs ac salutaribus actionibus incumbendum: ipsa exponit, quid in rebus serijs, & quid in ludicris, ac animi remittendi gratia suscepris agendum: ac tandem praescribit, quid sit cum Deo, quid cum proximis, & quid cum nobismetipsis obseruandum. Res tanta non perfuntoriè, non tepidè, non indiligenter impleatur, sed intentè, seruide, diligenterque seruetur. Ea namque ex quibus aut substantia mundialis, aut honos, aut temporalis vita dependet, diligentissimè exequimur: quidni ex praescripto regulae iussa diligenter exequamur? In his enim est anima nostra substantia, quae non nummis, sed virtutibus, sed pace, sed Dei misericordijs accrescit: in his uerus & solidus honor, quem executioni mandata uirtus acquirit: in his uita in aeternum duratura, quam minimè possidebit qui praecpta sibi imposita uolauerit; qui uero minora frigerit, quae leuia peccata continent, eam non nisi per ignem, & cruciatum, & ardorem acquirat.

Sed hunc modum in regula seruanda tenendum sigillatim exponamus, quem in Deuteronomio descriptum aspicio, dum quae de diuinis praecptis scripta sunt, ad regulae obseruationem extendo. Erunt, inquit, uerba haec, quae ego praecipio tibi hodie, in corde tuo, & narrabis ea filijs tuis, & meditaberis in eis, sedens in domo tua, & ambulans in itinere, dormiens, atque consurgens. Et ligabis ea quasi signum in manu tua, eruntque & mouebuntur inter oculos tuos, scribèsq; ea in limine & ostijs domus tuae. Nihil aliud desiderari potest ad diuinam uoluntate implendam, quam id, quod ipsa diuina uoluntas a nobis exigit, quae si compleuerimus, fidelissimi erimus diuinorum uerborum obseruatores. Octo autem sunt, si attentè haec uerba pensentur, quae a uiris iustis exiguntur, vt Domini sui iussa perficiant, quae nos exponemus, vt ipsi iusti legentes, quae ex ore tanti magistri didicerint, actione prestare contendant. Primum & caput omnium est: Eruntque uerba, quae ego praecipio tibi hodie, in corde tuo. Attendendum est quis praecipiat, & quando praecipiat, vt haec duo tanquam duo fides validissimi nos ad honestè uiuendū trahat. Quis praecipit? Deus. Quando praecipit? In die huius uita,

**A** quae nobis ad diripiendum caelorum regnum data est. Si magistrorum, aut parentum, aut Praelatorum, aut regum monita suscipimus, quanto magis uerba illius suscipienda sunt, qui magister est salutis, qui parens est uita, qui Dominus est uniuersorum, qui rex est caeli & terrae, cuius dicta si contempnamus, magistri, & patris, & Domini, & regis uniuersorum dicta contempnimus? Huius uero uita dies breuis est, & ad expugnandum caelum felicitatemque lucrandum, quare necesse est non morari, neque in re tanti momenti pigrescere.

**B** Verba ergo Dei, nobis ad perfectionem assequendam exposita, habeamus in corde, id est, magna reuerentia suscipiamus, pretiosissima existimemus, & magno amore amplecti curemus. Hoc enim esse habere aliquid in corde, docet Paulus ad Philippenses scribens: Eo quod habeam uos in corde, & in uinculis meis. Diligo uos, inquit, non uerbo & lingua, sed opere & ueritate in corde meo tanquam charissima pignora gesto, & uinculorum meorum compassione socios habere delector. Sit ergo regula in codice, sit in ore, id non prohibeo, sed multo magis sit in corde. Estimemus illam, tenerrimè diligamus illam, non onus, sed honorem; non iugum importabile, sed libertatem eius custodiam reputemus. Sponsa sponso suo inter uerba, ubi sedes est cordis, locum dare decernit. Fasciculus myrrhae, dilectus meus mihi, inter uerba mea commorabitur. Meditabar nunc (& aliorum sensibus non praediuico) sponsum myrrhae fasciculo comparari, quonia eius uoluntas multa a nobis exigit, uia regula tanquam uino fasciculo comprehensa, sensui quidè carnis amara, sed metis affectui suauia, quae a putredine uitiorum liberant. Hic ergo fasciculus inter uerba commoretur, & in praecordijs locum inueniat. Ibi uirgines pretiosiores & chariora recondunt; ibi iusta anima mandata perfectionis abscondat. Castae uirginis uerba inaccessibilia sunt, nulli, nisi sponso, cui dicitur: Tibi dabo uerba mea, ea manu tangere, aut oculis uidere permittit. Ibi regula commoretur, ubi alienus non accedat, ubi demonis persuasio nullam ei iniuriam inferat. Cor alienis curis vacuetur, & sollicitudinibus huius saeculi detergatur, vt hanc curam summè sibi necessariam assumat. Nam vt agrotus ex graui & periculosa inualetudine conualecat, opus est vt medicus sedulo ac diligenter causas morbi disquirat, & congrua medicamenta applicet: opus etiam est vt ipse agrotus, non minori sollicitudine medicamenta accipere, & molestias curationis sustinere curet. Quia cura medici cum incuria agroti parum, aut nihil ad sanitatem comparandam conferet. Et nos cum essemus in saeculo, quasi agroti desperati, non carne, sed (quod grauius est) mente, in uitam religiosam, vt in ualitudinariam nos recepimus, ne aeternam mortem incurreremus. Medicus agrotationum nostratorum est Christus, qui sollicita cura salutem animarum intendit. Cuius typus fuit ille Samaritanus, qui misericordia motus eius qui inciderat in latrones, curam illius egit: stabularius, nempe Praelato, curam illius habere praecipit. Vnde Ambrosius: Hic Samaritanus descendens quis est? Nisi qui descendit de caelo Filius hominis, qui est in caelo? Hic uidens femiuuum, quem nemo poterat antea curare, sicut illam, quae fluxu sanguinis proficiens in medicos erogauerat omne patrimonium suum, uenit secus eum, hoc est, factus compassionis nostri susceptio vicinus. Et post pauca. Curam illius egit, ne ager ea, quae acceperat, nequaquam praecpta seruaret. Sed praeter curam medici, opus est vt & nos medicamenta ab eo proposita, quae sunt regulae praecpta sumamus, & quae ipse praescripserit, seruare curemus.

Phil. 1.7.

Can. 1. 13.

Can. 1.7 12.

Luc. 10. 34.

Ambrosii. 7. in Luc. eandem locum.

Deut. 6. 6, 7, 8.





Sint ergo, o religiose, verba hæc Domini in corde tuo, & ea magna sollicitudine custodienda suscipito, quia iniuriam illis facis, si tanti momenti documentis officitanter intendis.

Nec solum hoc: sed & narrabis ea filiis tuis. Illos esse tuos filios intelliges, qui post te viam perfectionis ingressi, tuum fuerunt institutum amplexi. His non tam verbo, quam opere regulæ præcepta narrabis; eos vitæ tuæ exemplo quomodo sint seruanda docebis; & quemadmodum à maioribus accepisti, ipsa pura & illibata posteris trades. Non fracta, non laxata, non malè interpretata, sed sicut à sanctissimo fundatore data & obseruata sunt, integra, pura, & simpliciter intellecta relinques. Curandumque tibi est, vt religio, & disciplina nunquam senescat, sed semper pulchra, robusta, & tanquam in iuuenili ætate persistat. Ita sanè, vt nunc post multos annos, immò & post multas annorum myriadas dicatur de ea, quod scriptum est in Osea: Et canet ibi iuxta dies iuuentutis suæ, & iuxta dies ascensionis suæ de terra Egypti. Vel [iuxta interpretationes aliorum, quas Hieronymus refert] humiliabitur, vel affligetur, vel obediet ibi, nempe in solitudine, ad quam vocata est, secundum dies iuuentutis suæ. Nempe vt sicut in exordio foundationis suæ, status nostri cultores seipso Deo humiliarunt, corporis ac carnis impetus fregerunt, Prælati paruerrunt, & aduersariis insultantes, victoriæ carmina decantauerunt; ita & posterius nostri (quod ad nos attinet, & si nos imitentur) eodem modo ac illi priores se deiciant, mortificent, & obediant, & carmina victoriæ decantent. Certè inter rem datam, & rem commodato acceptam hoc discriminis intercedit, quod rem datam nobis tanquam rem nostram possumus deteriorem efficere, destruere, pessundare, & in sterquilinum proicere: at rem commodatam, integram, & eo modo ac eam accepimus, commodanti debemus tradere. Regula autem quid est? Nonne tanquam vestis commodata, qua operiamur? Nonne velut ensis commodato acceptus, quo ab hostibus defendamur? Non igitur licet nobis eam dilapidare, sed Deo, qui eam commodauit, in successoribus nostris integram & inuiolatam restituere. Sic pecuniam Domino multiplicatam reddemus, quia dum regulam pecunia signatam integram posteris tradimus, non exigua meritorum augmenta, quæ gloriam illi, nobis autem vilitatem afferant, in thesauros eius recondimus. Sic increpationem illius effugiemus, qui adiunxit: Quare non dedisti pecuniam meam ad mensam, vt ego veniens cum vltis vtique exegissem illam? Nam & regulam inuiolatam reddimus, & cum vltis meritorum eam Domino consecramus. Nec illa lege Deuteronomij tuam, o homo, negligentiam excules, qua dictum est: Fratri tuo absq; vltura id quo indiget, commodabis. Nam Christus frater tuus est, Dominus supremus, qui suis legibus non tenetur, & sicut temporalia gratis omnino donat; ita ex spiritualibus donis vlturas bonarum actionum nostrarum libenter acceptat. Mos reipublicæ est iustis legibus approbatus, vt sponsa in domum sponsi dotem adducat, eamq; illi tradat, vt toto coniugij tempore sponsam sustentet, & onera status suscepti ferat. Sed cum vinculum coniugij morte sponsi dissoluitur, & tota integra dos sponsæ, cuius erat, restituitur, quam dotem si maritus dissipauit, aut aliquantulum tenuauit ex bonis suis, damnum sponsæ illatū cogitur resarcire. Religio autem, o religiose vir, & mater & sponsa tua est: mater, quia te genuit, & sponsa, quia te tibi indissolubili amore copulauit, & ad procreandos meritorum filios adiunxit. Dos huius nobilis sponsæ

A | ditissima, non est alia, quam regula, quæ dum nos in suam domum admittit, in manibus tradit, vt eam negotiationi exponeres, id est, actione compleres, sponsam sustentemus, (quæ sine custodia regulæ peribit) & status nostri onera sustentemus. Hanc dotem, tu, cum ex præfenti vita excesseris, integram in subsidium sponsæ intactamque relinquo, ne si eam dissipaueris, & minimè resarcire volueris, terribilibus ignibus torquearis. Immò & sit in te tam ardens in amabilem & pulchram sponsam amor, vt zelo diuinæ gloriæ & tuæ perfectionis incitatus, illi dotem suam non solum integram, sed & auctam & multiplicatam coneris reddere. Id fecit & Salomon in hac re, quæ ad coniugem, filiam Pharaonis, pertinebat, seipso prudentior: qui cum Gazer ciuitatem igni succensam accepisset in dotem, eam ædificauit, vt sponsæ dotem non dirutam, sed optimè constructam & muris circumfusa possideret. O facinus rege dignum, quod tu imitaberis, si dotem, id est, religiosam regulam aliquatenus à tepidis labefactatam restaurare, & ad pristinum nitorem renouare nitaris. Si melius & perfectius quam alij paupertatem, castitatem, obedientiam, contemptum sæculi, & alia ad regularem statum pertinentia seruaueris, ciuitatem Gazer (quæ interpretatur præcisio) ædificas, dotem auges, quæ te à consortio malorum abscindit. Post mortem tuam lugebit te religio, sponsa tua, & non sine lacrymis tui memoriam habebit, quod fidelem sponsum, & sui honoris zelatorem amiserit. Hoc est regulam filiis narrare, eam, sicut nobis tradita est, illibatam relinquere.

C | Hoc autem desiderium regulam perfectissimè obseruandi succedes, si quod sequitur exequaris: Et meditaberis in eis, sedens in domo tua. Meditatione regulæ & non quamcumq; sed attentè, sed ex professo assumptam, sed per multum tempus durantè hæc verba deposcunt. Quæ longa sunt, & multum momenti ac multum laboris habent, solemus non stantes, sed sedentes perficere. Regulæ verò obseruatio res longa est, quam adolescentes incipimus, viri persequimur, & senes, atq; in decrepita ætate constituti, non præmittimus. Res etiã operosa est, quæ in nobis quicquid Deo ingrati est, reicit, & affectus nostros motusque componit: non ergo cursim & festinanter legenda est, sed diligenter & seridè meditanda. Hæc legem Dei continet exquisitissimam & sæcularibus propositam, & perfectius explicatam, & vsq; ad eorum, quæ in consilio sunt, obseruationem assumptam: quid mirum si à nobis eius intentissima meditatio poscatur? Huiusmodi certè meditatio Dei misericordiam promeretur, quod cognoscens Dauid ait: Veniant mihi miserationes tuæ, & viam: quia lex tua, meditatio mea est. Nec putandum est, illum, ob aridam & celere meditationem legis, diuinam miserationem poposcisse, sed ob illam, quæ ita sapienter diuinam voluntatem considerat, vt ad eam amplectendā & opere complendā inducat. Ad quod confirmandum pulchre dixit Augustinus: Hæc meditatio nisi esset in fide, quæ per dilectionem operatur, nunquam propter eam posset ad illam vitam quispiam peruenire. Hoc dicendū putauit, ne quisquā, cum totā legē memoriæ mandauerit, eamq; creberrima recordatione cantauerit, nō tacens quod præcepit, nec tamē viuēs vt præcepit, arbitreret se fecisse quod legit, quia lex tua, meditatio mea est; & hinc se adeptum existimet, quod verbis superioribus propter hoc meritū postulauit, vbi dictū est: Veniat super me miserationes tuæ, & viam. Hæc meditatio amantis est cogitatio, & tantū amantis, vt charitas non frigescat huius meditationis suæ, quæ taliter abundantia cōtinetur iniquitatis aliene. Tu ergo, o iuste, meditaberis

Osea 2.  
15.

Luca 19.  
23.

Dent. 23.  
20.

3. Reg. 9.  
17.

Ps. 118.  
77.

Aug. ib.  
ser. 19.

hanc



hanc legem Dei tui, sedens in domo tua; id est, intra cor tuum quiete manens, & suaviter requiescens, ut eam usque ad opus præstandum intelligas. Meditaberis eam ut iudex, qui te eorum temetipso statues, & regulam manu mentis tenens, an eam custodias, an verò transgrediaris, expendes. Si te fidelem inueneris, Dei donum agnosces, & pro eo gratias ages, & perseverantiam postulabis: si autem minus fidelem, & transgressorem repereris, culpam cum gemitibus confiteberis, & de cætero te emendare curabis. Meditaberis eam ut seruus, qui regulam pro epistolis tui domini recepisti, quibus quid à te exigit patenter ostendit. Caue ne aliquid faciendum omittas, & ne aliquid vitandum admittas, ut cum venerit, & pulsauerit, te vigilantem & operantem inueniens, in tabernacula æterna recipiat. Huic meditationi optimè congruit, ut nos ad opera, quæ regula præcipit, præstanda compellat. Vnde Ambrosius illud regij vatis interpretans: Et meditabar in mandatis tuis, quæ dilexi nimis; hæc ait: Pulcherrimus iste ordo, ut primo meditemur, & eorum præceptorum, quæ diligimus, sit nobis assueta meditatio. Meditatione enim mandatorum cælestium operis boni usus inolefcit. Nam sicut meditationi verborum, finis memoria est, ut, quæ meditamur verba, teneamus: sic meditationis præceptorum cælestium intentio, vel finis operatio est, actusque directus ad implenda præcepta diuina: quæ nisi quis diligit, implere non poterit, nec solum diligit, sed etiam nimis diligit. Ideo prius posuit: Et meditabar in præceptis tuis, quæ dilexi nimis. Et subiicit: Et leuaui manus meas ad præcepta tua, quæ dilexi nimis. Post meditationem etenim bonum est, leuare actus nostros ad præcepta Dei, atque id facere cum charitate & gaudio, ut non ex necessitate sit bonum nostrum: non cum mæore, atque mæstitia sed voluntarium, quia seruus inuitus facit, amicus voluntarius.]

Merito ergo post hanc attentam meditationem, quæ operis initium est, sedula operatio illis verbis: Et ambulans in itinere, à nobis exigitur. Quid enim est ambulantes mandata Domini meditari, nisi ea in itinere huius vitæ complere? Sedentes quidem in domo nostra meditamur, cum mente agenda & vitanda consideramus, & vitæ nostræ acta disponimus: ambulantes verò meditationi inistimus, cum gressus, id est, actus nostros consideratione dirigitur, & iuxta ea, quæ mente proposuimus, exercemus. De hac meditatione loquutus videtur Salomon, dicens: Os iusti meditatur obedientiam; os impiorum abundat malis. Ille cogitat quomodo obediat, isti quomodo præceptis resistant, & sua peccata excusationibus defendant. Ille meditatione vitur, non ut curiosè sciat, non ut superbe alios edoceat, sed ut bona, quæ meditatus est, faciat: isti meditationi vacant, ut colore aliquo suas iniquitates obducant, & se intaminatos ostendant. Ad eandem hortatur sanctus David: Lingua mea, inquit, meditabitur iustitiam tuam, tota die laudem tuam. Nihil enim est aliud tota die iustitiam Domini meditari, & à laude Dei nunquam cessare, nisi meditata & considerata perficere. In quem sensum Augustinus: Tota die Deum laudare quis dicit: Suggesto remedium, vnde tota die laudes Deum, si vis. Quicquid egeris, bene age, & laudasti Deum. Quando canas hymnum, laudas Deum. Lingua tua quid agit, nisi laudet conscientia tua? Et quoties tu cessasti ab hymno cantando, discedis, ut reficiaris; noli inebriari, & laudasti Deum. Discedis ut dormias; noli surgere ad malè faciendum, & laudasti Deum. Negotia agis: noli fraudem facere, & laudasti Deum. Agrum colis: noli litem mouere, & laudasti Deum.

**A** In innocentia operum tuorum præpara te ad laudandum Deum tota die. Hæc optimè Augustinus: Sed Spiritus sanctus per os Ecclesiastici hanc meditationem legis Dei ad opus mouens longioribus verbis, sed similibus pulcherrimis in hunc modum expressit: Beatus vir, qui in sapientia morabitur, & qui in iustitia meditabitur (qui scilicet res iustitiæ & sapientiæ considerat.) & in sensu cogitabit circumspectionem Dei: quomodo nempe Deus omnia circumspectat, & oculis suis occulta quæque perlustret. Beatus vir; qui excogitat dies illius, (scilicet sapientiæ) in corde suo, & in absconditis suis, ac in penetralibus cordis, intelligens, vadens post illum quasi inuestigator, & in viis illius consistens: qui respicit per fenestras illius, & in ianuis illius audiens. Hæc omnia ad inuestigationem veritatis & meditationem legis Dei pertinent. Sed audi quem ista meditatio sit finem habitura. Beatus vir, qui requiescit iuxta domum illius: Et quid est iuxta domum sapientiæ requiescere, nisi vitam agere, sapientium vitæ similem, ac præceptis sapientiæ conformem? Et in parietibus figens palum: quid autem est in parietibus domus sapientiæ paxillum figere; ex quo tabernaculum nos protegens dependeat, nisi nostrum refugium ac protectionem, non in fauore hominum, sed in bonis operibus collocare? Statuet casulam suam ad manus illius, & requiescent in casula illius bona per æuum. Et quid est casulam, aut humile tabernaculum in manibus sapientiæ ponere, nisi nos totos eius gubernationi & directioni committere? Qui hæc omnia præstiterit, ambulansque in itinere huius vitæ, iussa Dei ad rectè agendum meditatus fuerit, in corde suo bona cælestia per æternitatem possidebit.

Qualis verò esse debeat ista regulæ observatio, sequentia verba demonstrant: Dormiens, atque consurgens: hæc, inquam, vigilans & dormiens meditaberis, numquamque ab eorum consideratione diuelli poteris. Quibus ardens studium bene operandi, & secundum datam nobis regulam viuendi, præscribitur. Nam quæ vigilantes, mente volumus, & dormientes somniamus, ea ardentissime diligimus, & sollicitissime in eorum curam incumbimus. Sic sic debemus Domini voluntatem implere, quia magnus est Dominus, & magna semper in nos beneficia congerit, vnde magna cura, & ardenti sollicitudine est à nobis eius mandatum explendum. Quod Chrysostomus à nobis exigi autumat in illis verbis Davidis: Beatus vir qui timet Dominum, in mandatis eius volet nimis; ubi ita ait: Hoc autem dixit, exigens exactam vitæ institutionem, & animam amore sapientiæ præditam. Non dixit, Mandata eius faciet, sed, Volct, aliquid amplius requirens. Quidnam autem hoc est? Ea facere cum studio, & animi alacritate: esse vehementes eorum amatores: iussa eorum persequi; amare ea non propter mercedem, quæ est pro ipsis proposita, sed propter eum, qui illa statuit, virtutem cum voluptate persequi, non propter merum gehennæ, nec propter minas supplicij, nec propter promissionem regni, sed propter eum, qui leges tulit. Et paulo infra, exponens illud Pauli: Sicut exhibuistis membra vestra seruire iniquitati ad iniquitatem, ita exhibere membra vestra seruire iustitiæ in sanctificationem: Hæc ait: Qui metricis itaque amore captus est, etiam si afficiatur probro & contumelia, etiam si verberetur, etiam si se turpiter & indecorè gerat, etiam si expellatur à patria, etiam si bonis paternis eueratur,

Ecl. 14 22.

ib. n. 23. 24.

ib. n. 25.

Pf. 118. 47. Ambros. ser. 6. ver. 14. 7.

Prov. 15. 28.

Psal. 34. 23.

August.

Pf. 111. 1. Chrysto. 1. in Pf. 111.



etiam patris benevolentia proutur, etiam si grauiora patiat, ea fert iucunde & lubenter, propter amorem impudicum. Quod si illa cum voluptate suscipiunt, quomodo non multo magis Dei precepta, quae sunt salutaria, & gloria plena, & magnam nobis praebent Philosophiam, & animam meliorem efficiunt, oportet cum magna voluptate suscipere, & nihil esse difficile in eis existimare? Hoc est indicium Dei obseruatione capere, & nihil aliud in rebus omnibus, quam legis custodiam respicere. Quae sollicitudine custodiam, mirum est quam cito hominem mutet, ex carnali spiritualem faciat, ex imperfecto perfectum, & ad magnam puritatem prouehat. Splendidum enim cor, ait Ecclesiasticus, bonum in epulis est; epulae enim illius diligenter sunt. Splendidum cor, id est, letum, & gaudio ac exultatione perfusum, nullum aliud intelligo, nisi cor viri iusti, quod nullae tristitiae ex moribus conscientiae dimanantes inquietant. Epulae illius non sunt aliae, quam bona opera, sibi impositae legi conformia. Cum autem haec diligenter parantur, & ardentem assumuntur, bonum est cor & iucundum, non infirmitate marcescit, sed sanctitate pinguescit. Scito ergo, o homo, quia cibos corporis nimis ardentem fumere vitium est; cibos vero animae ardentissime accipere, perfectio est. Nam qui auidè, quasi famem patientes, hunc cibum virtutis comedunt, Deo faciente saturantur. Denique [famelici saturati sunt,] qui vero cum fastidio & nausea comedunt, modicum emolumentum ex sua occupatione suscipiunt.

Estne amplius, quod in hac regula obseruatione expectari possit? Est quidem & admodum necessarium, ne insurgentibus impedimentis teneamur. Et ligabis ea, inquit, quasi signum in manu tua: ut nempe precepta regulae quasi signum honoris in manu tua deferas, & sicut mundani honores suos, ita & tu obseruationem voluntatis Dei fortiter apprehendas. Quam libenter reges ceptum regni, & iudices virgam censoriam manu gestant! quia eximium in populis ex illa honorem reportant. Sic custodiam regulae honorificam puta, & in manibus ac operibus apud omnes habere gloria dignum reputa. Quod si à tepidis & dycolis ob exactam, & nunquam intermissam obseruationem damneris, ride eos ut insanos, sicut rex, aut iude illos insanos putaret, qui eum ob signum honoris aut potestatis contemnerent. Aut potius compatere illis, quia via stulti recta in oculis eius, cum tamen obliqua sit, & longe ab aequitate discedat. Aulicus, regi familiaris, in eo suum honorem constituit, quod à rege diligitur, & ad negotia tractanda vocetur. Vocat eum rex per nuntium suum, & statim exiit de accubitu suo, & contempto prandio, si ad mensam sedebat; aut medicamento posthabito, si illo fortassis indigebat; aut amico in salutato, si cum illo negotia tractabat, diligenter accurrit, ut regi, cui addictus est, obsequatur, & in nulla occasione honore agendi cum rege priuatur. O Christe Rex regum, & Domine dominantium, cur in alio, quam in obsequio tuo honorem nostrum & gloriam collocamus? Vocas nos saepe ad colloquium tuum; vocas ad orationis, vel cuiusvis exercitationis studium, regulae decreto praescriptum; vocas, non ut oneres, sed ut releues, non ut spohes, sed ut perficias, & dices: nos autem insani cunctamur, & respectu vani hominis, cum quo de rebus vanis loquebamur, tibi obedire negligimus. Ita nos habemus, ac si esset honor, cum mundanis agere, & ignominia, ad tuum impetium accurrere. Tibi obtemperare eru-

ducimus, iussa tua dissimulanter praeterire, aequum ducimus, ac si infamiae notam afferret in rebus nostri status & professionis occupari. Nec illam vocem tuam pertimescimus: Nam qui me erubuerit & meos sermones, hunc Filius hominis erubescet, cum venerit in maiestate sua, & Patris, & sanctorum Angelorum. Fidelis ille Abraham pater gentium, ex quo carnem accipere voluisti, audito circumcisionis mandato, statim ipsa die seipsum, Isaacem filium suum, & omnes vernaculos domus suae, vniuersosque, quos emerat, & cunctos matres ex omnibus viris domus suae pariter circumcidit. Quia signum honoris non erat differendum, nec praecceptum tuum, Domine, proterandum. Nos vero è contrà facimus, & tua iussa operi mandare differimus, ut minus fideles & ingrati repetiamur. Ligemus ergo verba Dei quasi signum in manu nostra, eorum obseruatione ut rem honore dignissimam habeamus in opere, quia nihil ita nos exaltat, & magnificat, ac Deo celeriter obedire, & in his, quae nobis iniunxit, non negligentes, sed sollicitos & faciles inueniri.

Et quid aliud ad exactam regularum obseruationem requiritur? Eruntque, ait, & mouebuntur inter oculos tuos. Hic prudentiae & discretionis admonemur, ut scilicet omnia, quae facturi sumus, regulis & maiorum institutionibus metiamur. Qui enim obtuli sunt visus, infirmamque habent oculorum aciem, specillis vtuntur, quibus propolita valeant aspicere. Nos autem oculos mentis habemus obtusos, & ad cognoscendam virtutis doctrinam infirmos, & regulae pro specillis, seu vitreis obliquis, datae sunt, quorum adiumento noscimus, quid nobis faciendum sit, quid vitandum. Sint ergo semper ante oculos nostros, ut quod lumine regulae bonum fuerit iudicatum atque perfectum, nec non statui nostro consonum, id admittamus, quod vero malum apparuerit, aut ab statu nostro alienum, illud constanter detrectemus. Qui ocularibus vtuntur, nihil, quod alicuius momenti sit, sine huiusmodi specillis operantur, aut vident: sic & nos, quibus tanquam sensu grandaeus regulae pro specillis datae sunt, nihil sine praua lege operemur, nihil sine eius adiumento & consensu faciendum suscipiamus. Omnia ergo regulae metienda sunt, omnia ad eius lucem examinanda. Meritoque in illo calamo mensura signata videtur, quem Ezechiel in manu Angeli, Deo reuelante, conspexerat, quoque vniuersas templi partes metiebatur. Quis enim Angelus, nisi virtuosus, terrestris Angelus, Angelus sapientiae lumine, obedientiae promptitudine, vitae puritate? Hunc profectò Angelum decet semper habere in manu mensuram regulae, qua omnes actiones suas expendat, ex quibus propriae perfectionis templum, in quo Deus habitat, est aedificandum. Hac, quae Scripturae sacrae precepta continet, appetitè intelligit, ut verba Gregorij adducamus, quantum in spiritali virtute proficit, vel quantum à bonis, quae precepta sunt, longè distans remansit; quantum iam assurgat ad bona facienda, quantum adhuc in prauis actibus prostratus iaceat. Ista regula, ista mensura, non solum ante oculos sit, sed & inter oculos moueatur, ut inter oculum carnalia sapientem, & oculum cognoscentem caelestia, discernat. Nam & est in nobis oculus prudentiae carnis, qui mundana respicit, & omnia statuta religiosa in fauorem carnis interpretatur: & est oculus prudentiae spiritus, qui solam veritatem & disciplinae integritatem tuetur. Sint ergo, & moueantur praeccepta regulae inter hos duos oculos, ita ut aduersus il-

Ecl. 30. 28.

1. Reg. 2. 5.

Prou. 12. 15.

Luce 9. 26. Gen. 17. 23.

Ezech. 40. 3.

Gregor. hom. 13. in Ezech. post mediu.

De B. Tom





Isaie 29.  
14.  
1. Cor. I.  
19.

lum pugnent, istum defendant: illum improbent, istum approbent: ab illo censuram iudicandi, quid exequendum sit, adimant, isti concedant. Ut illud impleamus, quod in Isaia scriptum est, & à Paulo paucis immutatis adductum: Perdam sapientiam sapientum, & prudentiam prudentium reprobo.] Sic enim secundum regulam simpliciter intellectam viuentes, falsam sapientiam carnalium hominum, & indoctam prudentiam mundi damnamus: & veram sapientiam Dei ac prudentiam spiritus subdimur.

Postremo loco, perseverantiam admonemur illis verbis: Scribesque ea in limine, & ostiis domus tuae.] Sed quomodo hic perseverantia significetur, excipe. Verba per aera feruntur, & statim ac prolata sunt evanescent: sensus vero nostri, qui litteris scribuntur, longo temporis spacio perdurant. Adhuc eorum, quae litteris explicata sunt, quaedam in papyro, siue membrana scribuntur, quaedam lapidibus inciduntur & in dura materia, quae facile rumpi, aut destrui non possit, exarantur, nec dubium est, quin haec longissimo tempore perseverent. Postes autem, ac limina domus lapidea aut lateritia esse solent, ostia vero lignea & ferrea: quid ergo erit, mandata Domini in limine & ostiis scribere, nisi in eorum observatione constanter usque ad mortem perdurare? Immo & alia ratione hic perseverantia mandatur. Nam limen & ostium est, quo domum ad habitandum intramus, & domo ad vicos & plateas civitatis egredimur, unde ingressum & egressum, principium ac finem vitae designat. Quid igitur erit, verba Dei in limine & ostiis scribere, nisi ab eorum observatione conversionem nostram incipere, & eam usque ad egressum ex hac vita protelare? In quo non pauci taxamur, qui post aliquot vitae religiosae annos elapsos privilegia & exemptiones quaerimus, & iugum observantiae leve sine viginti causa derelinquimus. Sed usque ad finem vitae perseverandum esset, & nequaquam à cruce discedendum, ut Christi imitatores, qui nunquam in animum induxit à cruce descendere, ac eius milites pronuntiemur. Certè peccatores sunt plerumque, qui ad extremum usque spiritum in eodem tenore peccatorum perseverant, aut quo magis ad mortem appropinquant, feruentius peccant: qui & in lapidibus, & in duriori materia peccata sua scribunt, iuxta illud, quod legimus in Ieremia: Peccatum Iuda scriptum est stylo ferreo, in vngue adamantino, exaratum super latitudinem cordis eorum, & in cornibus ararum eorum.] Vbi vnguis adamantinus, & cornua ararum lapidearum, cor durum est, quod indelebiter peccata suscipit, nec punitione castigatum, nec beneficiis affectum, à peccato discedit. Sint ergo iusti plurimi, qui studiosa opera quasi stylo ferreo in vngue adamantino scribant, & lapidibus insculpant, ut nullis temporis iniuriis deleantur. Sic voluit sanctus Iob sermones suos, id est, innocentiae & patientiae opera, in perpetuum scribi, ut sicut ipse iustificationem, quam cepit tenere, nunquam deseruit; ita eius memoria nullo tempore ab hominibus deseratur. Quis mihi tribuat, inquit, ut scribantur sermones mei? Quis mihi det ut exarentur in libro stylo ferreo, & plumbi lamina, vel celte, (id est, celo, quo artifices lapides scalpunt) insculpantur in silice? ] Sanctum desiderium, & à Deo cordi Iobi immisum, ab ipso Deo impletum est, & in scriptura sua, quae supra omnes plumbi laminas & durissimas scilices perdurabit, huius sancti viri voluit actiones passionisque conscribi.

Ier. 17.  
1.

Iob. 27.  
6.

Iob. 19.  
24.

A Ex quo iusti discant quòd si in virtutis actionibus perseveraverint, adhuc in libro, qui amplius daret, quia post finem mundi per aeternitatem peritabit, nempe in libro vitae, conscribentur. Non igitur, o homo, ventiles te in omnem ventum, & non eas in omnem viam: sic enim omnis peccator probatur in duplici lingua.] Ne cuius occasione te accommodes, & nunc moribus secularis, nunc religiosus videaris. Ne idioma mutes (quod proprium iniquorum est) & nunc veritatem, postea vero vanitate collaudes. Sed esto firmus in via Domini, & in veritate sensus tui, & scientia, & prosequatur te verbum pacis, & iustitiae. ] Scribe verba Domini in limine, & in ostiis domus tuae; & sicut vitam religiosam arripens districtam assumpsisti disciplinae censuram: ita ab ea ad meliorem vitam exiens eandem disciplinam proficere non desinas. Praemium namque, non incipientibus, sed perseverantibus, promissum est. Nam & ista verba sunt Pauli: Itaque fratres mei dilecti, stabiles estote & immobiles, abundantes in opere Domini semper: scientes quòd labor vester non est inanis in Domino.] Quod autem apud Deum inane non est, absque dubio plenum misericordiarum est.

Ecl. 5.  
11.

ib. n. 12.

1. Cor. 15.  
58.

B Documenta ergo regulae, ac professionis nostrae, ardentem amanda, fideliter conservanda, attentè meditanda, integre adentèrque complenda, pro magno honore habenda, & in regulam vitae accipienda, & usque ad finem vitae custodienda. Et vigemus nosmetipsos, ne si à perfectione exciderimus, perdamus, quae operati sumus, sed potius perseverantes mercedem plenam accipiamus.

C

Quae iuvent ad servandam Regulam.

CAPVT XI.



VSTODIA regulae tanti momenti est ad virtutes inferendas, ut necesse sit in rem tam vili adhuc tantisper immorari, & praeter ea quae dicta sunt, aliqua documenta, quae faciliorem hanc observantiam reddant, breui sermone praescribere. Res enim magnae non facili negotio fiunt, nisi aptis mediis prouehantur. Et districta custodia disciplinae res magna & operosa est, quam multi diligenter arripiant, sed non multi sine intermissione usque ad finem vitae suscipiant. Nunc igitur videamus, & ad numerum nonnulla documenta reuocemus, quae valeant nos in re tanta iuuare.

Regulam professionis tuae frequenter legas, & quia antea saepe tibi perspecta fuit, non propterea eam euoluete iterum atque iterum praetermittas. Alicuius artis peritus, si eam diligenter exerceat, nunc omnia eius artis instrumenta, nunc ista, nunc illa attentè perlustrat, ne, cum opus fuerit ad usum adducere, ea fracta, aut diruta, aut rubigine obducta reperiat. Et regulae, instrumenta sunt artis tuae, quam profitearis, & quae non aurum aut argentum, sed caelestia regna luertaris. Nunc ergo omnes confideta, nunc istas, nunc illas examina, ne tempore necessitatis obliuioni datas ad opus tuus minus aptas inuenias. Nauclerus non semel tantum, sed saepe membranam illam inspicit, in qua & occulta pericula, & latentes scopulos, & cursus nauigationis antea descripserat. Et tu in coelum enauigas, & regula pro nauicularia, seu arte nauigandi tibi concessa est; saepe in eam oculos iniice, ut pericula spiritalis vitae scias, &

I.